PEVRBACHII

TRACTATVS

· 1541 ·

$1250 -39

TRACTATVS GEORGII PEVRBACHII SVPER PROPOSITIONES PTOLE maei de Sinubus & Chordis.

Item Compositio Tabularum Sinuum per Ioannem de Regiomonte.

Adiectæ sunt & Tabulæ Sinuum duplices per eundem Regiomontanum.

Omnia nunc primum in utilitatem Astronomiæ studiosis impressa.

Norimbergæ apud Iohan. Petreium, anno Christi M. D. XLI.

HIERONYMO SCHREIBERO Rerum Mathematicarum ſtudioſo, amico ſuo, Ioannes Schonerus Caroloſtadius Mathematicus S. D. P.


CONTINERE me non poſſum, doctiſsime Hieronyme, quin ſæpe illum animi tui, iam pridem cognitum mihi, candorem in memoriam reuocem: præterquàm enim quòd me ſemper ſingulari proſequutus es amore, etiam à ſtudijs noſtris uerè cœleſtibus, nunquàm abhorrente uiſus es ingenio, quod unum, maximè perpetuæ inter nos amicitiæ uincula cuſtodire debet. Quare cum mecum conſtituiſſem, hoc potiſsimum tempore in publicum edere, librum Ioannis Regiomontani uiri citra controuerſiam, ſua tempeſtate, Mathematicorum omnium principis, cui titulum fecit ille de Sinubus & Chordis, quibus ad maiorem utilitatem & facilitatem, compoſitionẽ quoqꝫ tabularum eorũdem Sinuũ, artificioſe equidem adiecit: eum librũ nominatim tibi dicare uolui, cũ quòd rebus Aſtronomicis non tantũ utilia, ſed & neceſſaria uiſa mihi ſint omnia, quæ nobis Regiomontanus noſter ſcripta reliquit, tum etiam quòd hic liber recta ducat ad cognitionẽ ſiue intelligentiam librorum, quos idem Regiomõtanus de Triangulis Sphæricis conſcripſit. Sunt præterea in hoc libro præclara multa, ſine quibus, in Aſtrorũ ſcientia, alijsqꝫ Mathematicis diſciplinis, haud facile excellere poterit quiſqꝫ. Quocirca admiratione dignum eſt, fuiſſe quoſdam qui huius doctiſsimi uiri labores, tanquàm ingenij ſui fœturas, ſui nominis inſcriptione, ſuppreſſo interim nomine Regiomontani publicare non erubuerint, ſecus facientes, quàm facere decet bonos uiros. Mihi quod facio, conſcientia ſatisfacit, neqꝫ alienis plumis ornatus alijs placere uolui aut ſtudui unqꝫ. Scripſit eiuſdẽ argumenti librũ, uir doctiſsimus Georgius Peurbachius, præceptor olim Regiomontani noſtri, quem in præſentia huic editioni adiecimus, cum quòd diſcipulum cum magiſtro ſuo conferre pulchrum eſſe putamus, tum quòd omnes bonarum artium ſtudioſos, ad horum uirorum inuentiones, ut ſedulo legant, inuitarẽ. Id uolui ne ignorarent ſtudioſi. Ipſe hoc potiſsimũ ago in hac editione, ut Regiomontano, à quo in hiſce ſtudijs meis nõ parum ſum adiutus, tanquàm ueteri colono, ſui reſtituantur agri. Quam uoluntatem, nemo eſt, opinor, inter doctos, qui improbare uelit. Vale in Domino, & ſtudia noſtra excelſo animo proſequi non graueris Norimbergæ anno Chriſti 1541.

TRACTATVS SINVVM ET Chordarum, Georgij Peurbachij.

SINVVM, Chordarũ & Arcuum noticia ad cœlestium motuum cognitionem perualde necessaria existit, ideò de eorum doctrina restat in præsenti perquirendum. Vnde uidendum quid sit Sinus, quid Sinus rectus, quid uersus, quid Chorda, quid Arcus, quid Kardaga. Magistri Geometriæ non potuerunt perfecta ratione comprehendere, quanta esset diameter circuli respectu suæ circumferentiæ, eo quòd recti ad curuum non est proportio. Practici tamẽ posuerunt circumferentiam triplam sesquiseptimam diametro. Archimedes autem probat circumferentiam cõtinere ter diametrum, & minus quàm decem septuagesimas & plus quàm decem septuagesimas primas. Sed Ptolemæus in Almagesti, probat quòd decima circumferentiæ habet chordam 27. grad. & 4. minut. ferè. Et ideo dicit, si ponimus diametrum 150 graduum, erit circumferentia ferè 377 graduũ, qui nunc ad numerum graduum diametri nullam proportionem habent notam. Indi uero dicunt; si quis sciret radices numerorum recta radice carentium inuenire, ille faciliter inueniret quanta esset diameter respectu circumferentiæ. Et secundum eos, si diameter fuerit unitas, erit circumferentia radix de decem; si duo, erit radix de quadraginta; si tria, erit radix de nonaginta, & sic de alijs. Et est differentia inter Indos & Practicos Geometriæ 1 minut. & plusq; septima pars unius minuti, unde patet diametrum ex circumferentia, & circumferentiã ex diametro diuersimode posse reperiri. Dicunt etiam nonnulli quòd proportio diametri ad circumferentiam, sit sicut 20000. ad 62832. & ex hoc iterum uno noto alterũ reperitur. Sed his modis diuersis non semper reperitur eadem quantitas, sed diuersa, secundum quòd auctores diuersimode imaginati sunt de proportione eorum. primus tamen modus communior est alijs. Item licet inter sinum & portionem non sit proportio proprie loquendo, eo quòd rectum et curuum non sunt eiusdem speciei, est tamen inter eos mutua relatio, nam sinus est portionis sinus, & portio est sinus portio. Quanquam igitur non sit nobis noticia certa de proportione diametri ad circumferentiam, possumus tamen ad placitũ ponere diametrum quotquot partium uoluerimus, & secundum eas quantitates chordarum aliarum & sinuum reperire.

Ad demonstrandum igitur quantitatem sinus cuiuslibet portionis. et primo 6 Kardagarum circuli. Sit circulus a b c d, centrum eius e, quadratus duabus diametris orthogonaliter se secantibus a c, b d. Sit etiam circulus f g h æqualis priori supra centrum b, cuius circumferentia contingit lineã a c supra centrum e. Item circulus i k l supra centrũ d, æqualis priori, cõtingens similiter lineã a c in e. Et primus secet secundum in punctis m & n, & secũdus tertium in punctis i & l. Circulo a b c d inscribatur hexagonus æquilaterus per penultimã quarti, qui sit b n i d l m, ex qua etiam patet, quòd latus hexagoni talis est æquale semidiametro circuli. Ducaturq; linea m n secans b e in q, similiter i l secans e d in e. Quia igitur linea m n eadem de circulis æqualibus abscindit duos arcus, scilicet m b n & n e m, ipsi erunt æquales per 27. tertij. Eadẽ ratione arcus m b æqualis erit arcui m e. Eruntq; quatuor arcus, m b, b n, n c, c m, sibi inuicem æquales. Itẽ per octauã primi uel quartã & 26 primi, patet q̃d linea b e diuiditur in duo æqua, in q, similiter n m diuiditur per æqua in q. Eadem ratione linea i l diuidit lineam e d per æqua, & econtra. Et ita patet quatuor lineas b q, q e, e r, r d, sibi esse æquales, & lineam q r esse æqualem semidiametro, & per 27 tertij, patet circulum esse diuisum in sex arcus æquales. Item per quartam secundam partem 28. & 34. primi n p & q e esse æquales, & n q & p e similiter æquales, & ita n p erit quarta pars diametri circuli siue medietas semidiametri, unde sinus duodecimæ partis circuli siue 30 gra. erit quarta p̃s diametri, & ita notus est sinus duarum Kardagarũ simul. Linea autem n q est sinus rectus quatuor Kardagarum siue sextæ partis circuli, & ipsa nota erit per penultimam primi, eo quòd e q est nota, similiter e n. Postea in circulo f g h protrahe diametrum f h orthogonaliter secantẽ g e in centro b, & ducta linea g h, quam per undecimam primi, diuide per æqua

in t, similiter arcum g h per 29 tertij per æqua in s. Tunc arcus g s erit octaua circuli siue 45 grad. quæ sunt tres Kardagæ, & cuius sinus g t notus erit per penultimam primi. quadratū g h duplū est ad quadratum semidiametri, unde sinus totus est quadrandus, & postea dupli eius radix quadrata erit linea g h, cuius medietas est g t, sinus trium Kardagarum siue 45 gra. Patet a m esse 30. grad. & eius chorda erit nota, subtrahendo



e o, quæ est æqualis n q sinui 60 gradū, ab e a sinu toto, & manebit o a cuius quadratum iungatur cū quadrato m o, scilicet sinus 30. grad. & producti radix erit chorda quæsita, cuius medietas est sinus primæ Kardagæ siue 15. grad. Deinde in circulo f g h accipiatur portio 30. grad. quæ sit u g x, ita quòd u g sit 15. gra, similiter g x 15. grad. & erit arcus x f 75. grad. Duc ergo p 31. primi, lineam x z æquædistantem lineæ g b, quæ erit sinus portionis x f 75. grad. Ductaq; linea b x à quadrato semidiametri, scilicet b x, aufer quadratum sinus portionis 15. gra. scilicet lineæ y x, & manebit quadratum lineæ y b, quæ est æqualis lineæ x z, erit ergo sinus portionis 75. gra. notus, & est sinus 5. Kardagarum. Sinus autem totus siue semidiameter est sinus sex Kardagarum.

Habitis igitur sinibus sex Kardagarum, minue sinū arcus 15. gra. de sinu arcus 30. gra. & residuum erit sinus Kardagæ secūdæ. Deinde subtrahe sinum duarum Kardagarum, hoc est arcus 30. grad. à sinu arcus trium Kardagarum, & remanebit sinus tertiæ Kardagæ, & ita de cæteris. Ex his igitur manifesta est quantitas tam sinus recti q̃ uersi cuiuslibet Kardagæ, & quarumlibet simul sumptarū. Nam sinus rectus primæ Kardagæ est sinus uersus sextæ, & sinus rectus secundæ est sinus uersus quintæ &c. Item sinus rectus duarum Kardagarum primarum, scilicet primæ et secundæ, est sinus uersus duarum ultimarum, scilicet quintæ & sextæ. Et sinus uersus primarum duarum, est sinus rectus duarum ultimarum. Hæc siquidem sunt sex Kardagæ gratia, quarum introducta est hæc demonstratio.

Ad inueniendum autem sinus minorum circuli portionum, Sinum sextæ Kardagæ multiplica per sinum arcus 30. grad. & producti radix erit sinus arcus 7. grad. & dimidij. Quem in se multiplicatū aufer à quadrato totius sinus, & remanentis radix erit sinus 82. & dimidij grad. Hunc minue à toto sinu, & residuum multiplica per sinum 30. gra. & proue-


& prouenientis radix erit ſinus arcus 3.grad.& trium quartarum. Et quadratum huius aufer de quadrato totius ſinus, & reſidui radix erit ſinus 86.grad.& unius quartæ. Poſt ſubtrahe ſinum 45.grad. de toto ſinu, reſiduum multiplica per ſinum arcus 30.grad.& collecti radix erit ſinus arcus 22.grad.& dimidij, cuius quadratum minue de quadrato totius ſinus,& radix remanentis erit ſinus arcus 67.grad.& dimidij. Quem aufer de ſinu toto,& remanens multiplica per ſinum 30.grad.& excreſcentis radix erit ſinus arcus 11.grad.& 15.minut.cuius quadratũ minue à quadrato totius ſinus, & radix reſidui erit ſinus portionis 78.grad.& 45.minut. Poſt hæc deme ſinum 15.grad.de ſinu toto, & reſiduum multiplica per ſinum 30.grad.& numeri producti radix erit ſinus portionis 37. grad.& 30.minutorum,cuius quadratum ſubtrahe à quadrato totius ſinus,radixq́ reſidui erit ſinus 52.grad.& dimidij. Eodem modo fit in uniuerſis circuli portionibus, uſq; ad minutiſsimas eius portiones. Hæc de mente Arzahelis.

Nunc ſecundum ſententiam Ptolemæi in prima dictione Almageſti,9.& 10.capit. uidendam eſt de inuentione chordarum, præmittit autem primo ſex propoſitiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Data circuli diametro,latera decagoni, hexagoni, pentagoni, tetragoni atq; trianguli æquilateri, omniũ ab eodem circulo circumſcriptorũ reperire.

Sit ſemicirculus a b g erectus ſupra diametrum a d g, circumductus ſupra centrum d, & ſit d b perpendicularis à centro ſup a g per undecimã primi,et ſemidiameter d g in duo media diuiſa in h per decimam primi, & ducta linea b h, ſitq́ h f, æqualis h b per tertiã primi, & protrahatur linea b f. Dico quòd linea b d, ſimiliter d g, eſt latus hexagoni, & f d latus decagoni,& f b latus pentagoni. Primũ patet per corollariũ penultimæ quarti. Secundum ſic:Nã g d diuiditur in æqualia in h,& additur ei in lõgum d f. Igitur per ſextam ſecundi, quòd fit ex g f in f d,cum quadrato d h æquatur quadrato h f. igitur & quadrato h b,unde etiã per penultimã primi quadratis, quadratũ duarũ linearũ b d & d h. Dempto igitur quadrato d h cõmuni, erit quòd ex g f in f d æquale quadrato d b ſiue d g,igitur per ſecũdam partem decimæſextæ ſexti, tres lineæ f g, g d, & d f continue proportionales erunt. Eſtq́ etiam linea g f diuiſa in d ſecundum proportionem habẽtem medium & duo extrema,cuius maior portio g d eſt latus hexagoni,igitur per conuerſam nonæ decimitertij,linea d f erit latus decagoni æquilateri circulo inſcripti,& hoc eſt ſecundum. Tertium uero ſic: Nam angulus d eſt rectus,igitur per penultimam primi,quadratum b f æquatur duobus quadratis b d & d f,ſed b d eſt latus hexagoni,& d f latus decagoni,ut patuit. Igitur per conuerſam decimæ decimitertij b f erit latus pentagoni.Nam latus pentagoni æquilateri per eandem decimã decimi tertij,tanto potentius eſt latere hexagoni,quantũ potentius latus decagoni æquilateri, ſi ſint eidẽ circulo oẽs inſcripti.Latus uero tetragoni æqlateri, inuenitur ſi in priori ſemi circulo ducatur linea b g.Nam linea d b diuidit ſemicirculum in duo media,erit igitur arcus b g quarta circumferentiæ circuli,unde per quartam ſexti,b g linea erit latus quadrati &c.Latus autem trigoni æquilateri circulo inſcripti,habebitur ſi intra eundem ſemicirculum coaptetur linea recta g l æqualis ſemidiametro g d per primam quarti, quæ tangat diametrũ a g in termino eius .ſ. g, ipſaq́ erit latus hexagoni,& ducatur linea a l, dico quòd ipſa erit latus trigoni æquilateri circulo inſcripti. Nam latus g l hexagoni abſcindit de ſemicirculo arcum g l,qui erit ſexta pars circumferentiæ totius circuli,ſcilicet 60.grad. erit igitur arcus a l reſiduus complementum ſemicirculi,ſcilicet 120.grad.et ipſum eſt tertia pars circuli.Eius igitur chorda erit latus trigoni p 28.tertij. Et ita patet tota ꝓpoſitio. Corollariũ ex hoc. Vnde manifeſtũ eſt,quòd ſi nota fuerit circuli diameter, & prænominata latera nota erunt,chordæ quoq; quæ reſiduis ſemicirculi arcubus




subtenduntur, erunt notæ, patet ex ipsa demõstratione prima pars, sed secunda patet ex 30. tertij & 46. primi.

¶ Cuiuscunq; arcus sinus uersus, se habet ad sinum rectum medietatis arcus, sicut idem sinus rectus se habet ad sinum arcus 30. graduum. Hoc est dicere: Cuiuslibet arcus in quarta circuli sinus rectus, est medio loco proportionalis, inter sinum uersum arcus dupli, & sinum rectum arcus 30. graduum.

PROPOSITIO II.

Si quadrilaterum infra circulum describatur, rectangulum quod sub duabus eius diametris continetur, est æquale duobus rectangulis pariter acceptis, quæ sub utrisq; eius lateribus oppositis continentur.


Sit circulus a b g d, in quo describam quadrilaterum a b g d, & eius duas diametros a g, b d. Dico quòd rectangulum q̃d fit ex a g in b d, est æquale duobus quæ fiunt ex a d in b g, & a b in d g, simul acceptis. Faciam enim per 23. primi angulum a b e, æqualem angulo g b d. Adiectoq; utriq; eorum angulo e b d, erit angulus a b d æqualis angulo g b e. Sed per 20. tertij angulus b g e, æquatur angulo b d a. Igitur per secundam partẽ tricesimæsecũdæ primi, residuus angulus b e g, erit æqualis residuo angulo b a d, sunt igitur trianguli æquianguli, igitur per quartã sexti latera æquos angulos respicientia, proportionalia erunt, unde a d est ad e g, sicut b d ad b g, ergo per decimãquintam sexti, q̃d fit ex a d in b g, æquatur ei quod fit ex e g in b d. Item angulus a b e per hypothesim æquatur angulo d b g, sed per 20. tertij angulus b a e, æquatur angulo b d g. Igitur per secundam partem 32. primi tertius angulus tertio est æqualis, unde triangulus a b e, est æquiangulus triangulo d b g, igitur per quartam sexti latera erunt proportionalia. Erit igitur a b ad b d, sicut a e ad d g, & permutatim a b ad a e, sicut b d ad d g, ergo per decimamquintã sexti, quod fit ex a b in d g, est æquale ei quod fit ex a e in b d. Iam autem demonstratum est, quod fit ex a d in b g, est æquale ei quod fit ex e g in b d. Igitur p̃ primam secũdi totum rectangulum, quod fit ex ductu a g in b d, æquatur duobus rectangulis, quorum unum fit ex a d in b g, & aliud ex a b in d g. Nam quod fit ex a g in b d, æquatur duobus rectangulis per primã secundi, scilicet uni q̃d fit ex b d in e g, & alij quod fit ex b d in a e, simul sumptis. Sed primum rectangulum æquatur ei quod fit ex a d in b g, & aliud ei quod fit ex a b in d g, unde quod fit ex a g in b d, est æquale duobus rectangulis, scilicet ei quod fit ex a d in b g, & illi quod fit ex a b in d g, simul sumptis, quod est propositum.



PROPOSITIO III.

Si in semicirculo chordæ arcuum inæqualiũ notæ fuerint, chorda quoq; arcus quo maior minorem superat, erit nota.

Sint in semicirculo a b g d supra diametro a d, descripto duæ chordæ a b & a g notæ. Dico quòd chorda arcus b g nota erit. Ductis enim duabus chordis b d & g d, quæ cum duæ a b & a g sint notæ, erit manifestum per corollarium primæ huius, eo quòd quælibet earum est chorda residui semicirculi. Est igitur quadrilaterum a b g d infra circulum, cuius duæ diametri a g & b d sunt notæ, tũc per præmissam duo recta simul, quæ fiunt ex a b in g d, & ex b g in a d nota erunt. Rectangulum autem quod fit ex a b in g d, est notum, eo quòd ambæ lineæ ipsum rectangulum continentes sint notæ, quo ablato de totali rectangulo, quod fit ex a g in b d, manebit rectangulum quod fit ex b g in a d, &




quia

quia una eius linearum ipsum continentium est nota, quia a d diameter circuli erit per diuisionem, reliqua linea scilicet b g nota, quod est propositum.

PROPOSITIO IIII.

Si in semicirculo alicuius arcus chorda nota fueritc, horda quoque quæ eius medietati subtenditur nota erit.

Si in semicirculo a b g descripto supra diametro a g, arcus b g chordam notam habens, diuiso arcu b g per æqua per 29. tertij, & ductis chordis a b, b d, a d & d g, ducatur perpendicularis d f supra diametrum per 12. primi. Dico quòd linea f g est medietas superflui lineæ a g super lineam a b. Pono enim lineam d e æqualem lineæ a b per tertiam primi, & produco d e. Et quia a b est æqualis a e, posita a d cõmuni, erunt duæ lineæ a b & a d trianguli a b d, æquales duabus lineis a e & a d trianguli a e d, quæli bet uidelicet suæ relatiuæ, & arcus b d æqualis arcui d g, et per 26. tertij, angulus b a d æqualis angulo e a d, igitur per quartam primi basis b d æqualis basi e d. Et quia linea b d per 28. tertij, est æqualis lineæ d g. Igitur d g est æqualis d e, igitur per quintam primi, trianguli d e g anguli supra basim sunt æquales.




Quare d f linea demissa per 26. primi, diuidit e g in æqualia. Tota autem e g est superfluum lineæ a g super a b, & f g est medietas superflui, & ita patet quod dictum est. Et quia chorda arcus b g est nota ex hypothesi, erit chorda residui semicirculi, quæ est linea a b nota, quæ est æqualis a e, erit igitur e g nota, & per consequens eius medietas f g. Quia ergo per 30. tertij, angulus a d g in semicirculo consistens est rectus, & ab eo super basim egreditur d f perpẽdicularis, erit d g per octauam sexti, medium proportionale inter a g & g f, sed cum a g & g f sint nota, una ducta in aliam erit quadratum lineæ d g notum & per consequens ipsa linea.

PROPOSITIO V.

Si duæ chordæ duorum arcuum in semicirculo fuerint notæ, chorda quoque quæ toti subtenditur arcui ex illis duobus arcubus composito erit nota.

Circuli cuius diameter a d, & centrum f, sint duo arcus noti a b & b g notas chordas habentes, & sit una chorda alteri copulata in b, & protracta chorda a g, dico quod ipsa chorda a g nota erit. Protraho enim diametrum b f e, & lineas b d, d g, d e, & g e. Tunc enim ex noticia lineæ b g nota erit linea g e, & ex noticia a b, nota erit b d, & ex noticia b d scietur d e. Est ergo quadrilaterum b g d e circulo inscriptum, cuius sunt duo diametri b d & g e, per secundam huius rectangulum quod fit ex eis, erit æquale duobus rectangulis, quorum unum fit ex b e in g d, & a d ex b g in d e, quia igitur diametri sunt noti, erũt illa duo rectangula nota, sed unum eorum rectangulorum notum est, eo quòd b g & d e sunt notæ, erit aliud rectangulum notum, scilicet quod fit ex b e in g d, & quia unum eius latus est notum, scilicet diameter b e, erit per diuisionem ipsius rectanguli per diametrum linea g d nota, qua nota per Corollarium primæ huius erit g a nota, nam ipsa est residui arcus de semicirculo chorda. Vel aliter & facilius, quia chordæ e g & e d sunt notæ, erit per tertiam huius chorda g d nota, unde & a g similiter nota erũt. Et nota quòd chorda e d est æqualis chordæ a b, quia utraque eorum est chorda residui de semicirculo ultra arcum b d.




Proposi-

PROPOSITIO VI.

Si protrahantur in circulo duo lineæ inæquales, proportio chordæ longioris ad chordam breuiorem, erit minor proportione arcus longioris ad arcum breuiorem.

Sint in circulo a b g d protractæ duæ chordæ, minor a b, & longior b g. Dico quòd proportio chordæ b g ad chordam a b, est minor proportione arcus b g ad arcum a b. Diuidam enim angulum a b g per æqualia secundum nonã primi, per lineam b d, eritq́ per 25. tertij arcus a b g d æqualis arcui d a b g, super quos ipsi anguli æquales cadunt.



Dempto igitur arcu a b g cõmuni utriq́, manebit arcus a d æqualis arcui d g, eritq́ per 28. tertij linea d a æqualis lineæ d g, & per 5. primi anguli d a g & d g a supra basim æquales. Et à puncto d duco super a g perpendicularem d f per 12. primi, eruntq́ per 26. primi, a f & f g æquales, & angulus a d f æqualis angulo g d f, & perconsequens linea g e erit maior linea e a. Et quia angulus e f d rectus est, igitur maior angulorũ eiusdem trianguli, erit per 18. primi d e maior d f. Angulus autem a e d extrinsecus per 32. primi, maior est angulo recto, igitur per 18. primi, a d longior e d. Est ergo a d longior e d, & e d longior d f, circulus descriptus super d secundũ quãtitatẽ lineæ d c proculdubio lineã ad secabit, sed lineã f nõ attinget. Circũducto igitur sup̃ d circulo h e c, secãte d a in h, & ducta d f usq́ ad c, sector e d c erit maior triangulo e d f, & triangulus a d e est maior sectore h d e. Igitur per primã partẽ octauæ quinti Euclidis, proportio trianguli e d f ad sectorem h d e, est minor proportione sectoris e d c ad sectorem h d e. Et per secundam partem eiusdem proportio trianguli e d f ad triangulum a d e, est minor proportione eiusdem trianguli ad sectorem h d e. Quare per cõmunem animi conceptionem, Quicquid est minus minore, est etiam minus maiore, erit proportio trianguli e d f ad triangulum a d e, minor proportione sectoris e d c ad sectorem h d e. Proportio autem trianguli e d f ad triangulum a d e, per primam sexti, est sicut proportio lineæ e f ad lineam e a. Proportio uero sectoris e d c ad sectorem h d e, est sicut arcus e c ad arcũ e h, quæ est sicut anguli f d e ad angulum a d e per ultimam sexti, igitur proportio lineæ f e ad lineam e a, est minor proportione anguli f d e ad angulum e d a, igitur coniunctim proportio lineæ f a ad lineam e a, est minor proportione anguli f d a ad angulum a d e. Quare proportio lineæ duplæ prædictæ lineæ a f, quæ est lineæ a g, ad lineam a e, minor erit proportione anguli e d a, qui est duplus a d f ad angulum a d e. Ergo disiunctim proportio lineæ g e ad lineam a e, minor erit proportione anguli g d e ad angulum e d a. Et quia in triangulo a b g linea b e ducta ab angulo a b g, ad basim a g, diuidit eundem angulum per æqua, erunt per tertiam sexti duæ partes ipsius basis, scilicet g e & e a, reliquis eiusdem trianguli lateribus, scilicet lineis b g & b a proportionales. Igitur proportio lineæ g e ad e a, est sicut proportio chordæ g b ad chordam b a, & proportio anguli g d b ad angulum b d a per ultimam sexti, est sicut arcus g b ad arcum b a, quare proportio chordæ b g ad chordam b a, est minor proportione arcus b g ad arcum b a, quod erat demonstrandum.

Ex præmissis propositiõibus cuiuslibet arcus noti quãtitas chordæ repitur.

Ex prima enim propositione nota est chorda sextæ partis circuli, eo ꝙ ipsa æqualis semidiametro, Nota est etiã chorda decimæ partis circuli .s. arcus 36. gra. nã ipsa est latus decagoni. Nota est similiter chorda quintæ partis circuli, eo ꝙ ipsa est latus pentagoni, & ipsa est chorda arcus 72. gra. Similiter chorda arcus 90. gra. ipsa enim est latus quadrati. Item chorda 120. gra. quia latus trigoni.

Amplius


Amplius ex sequentibus propositionibus constat, ex certorum arcuum differentijs chordas multas posse inueniri. Per secundam enim propositionem & tertiam possunt inueniri plures chordæ superfluæ arcuum, secundum seipsas chordas notas habentium. Et hoc taliter: Propositis nanque chordis duabus arcuum inæqualium notis, si uis inuenire chordam arcus, quo maior excedit minorem. Primo scias chordas arcuum residuorum semicirculi respectu utriusque chordæ propositæ, subtrahendo quadratum chordæ propositæ à quadrato diametri, & manebit quadratum chordæ residui arcus semicirculi ultra arcum chordæ propositæ, per Corollariū primæ huius, cuius radix ostendit quantitatē talis chordæ. Illud autem quod fit ex ductu chordæ arcus maioris in chordam residui arcus minoris, est æquale illis duobus, quæ fiunt ex ductu chordæ arcus minoris in chordam residui arcus maioris, & ex ductu diametri in chordam arcus, quo maior excedit minorē, ut potest deduci ex tertia propositiōe. Subtracto igitur eo quod fit ex ductu chordæ arcus minoris in chordam arcus residui maioris remanet, quod fit ex ductu diametri in chordam arcus quo maior minorē excedit. Quod si diuiditur per diametrū, exibit ipsa chorda arcus quo maior excedit minorē. Ita per chordam arcus 60. gra. & chordam arcus 72. gra. inuenies chordam arcus 12. gra. Item per chordam arcus 36. gra. & per chordam arcus 60. gra. reperies chordam arcus 24. gra. Item per chordam arcus 60. gra. & chordam arcus 90. gra. inuenies chordam arcus 30. gra. Sicque de cæteris similibus debes operari, & chordas multorum arcuum habebis.

Consequenter ex quarta habetur, qualiter habita chorda alicuius arcus inueniri queat chorda medietatis eiusdem arcus, ut ex chorda arcus 12. gra potest reperiri chorda arcus 6. gra. Deinde arcus trium, post arcus 1. grad. cum dimidio. Deinde arcus dimidij gra. & 4. Primo debet quæri chorda residui talis arcus p Corollariū primæ huius, qua ablata à diametro residui medietas ducatur in diametrum, & producti radix est chorda quæsita, nā ipsa est chorda medietatis arcus ꝓpositi. Et ita potes ex chorda 60 gra. reperire chordā arcus 30. gra. dupliciter, p præcedētē & illam. Et ex chorda arcus 30. gra. chordā arcus 15. gra. deinde chordā arcus 7. gra. & dimidij. Et ex chorda arcus 36. gra. chordam arcus 18. gra. deinde 9. deinde 4. gra. cū dimidio. Et sic de alijs consimilibus eodem modo est procedendum.

Deinde ex quinta habebitur qualiter per arcum 1. gra. & dimidij, & eius chordā multorū arcuū chordæ possunt inueniri, ut si chorda arcus 1. gra. & dimidij cōponatur cum quacunque chordarū notarū, aut si arcus illarum chordarū duplantur uel triplantur, & sic deinceps: aut si ad arcū habētem chordam notā addatur arcus sibi æqualis, aut arcus maior aut minor eo, chordam etiā habens notā, quomodo chorda totius arcus ex eisdē compositi debeat inueniri. Illud aūt generaliter debet inueniri hoc modo. Primo quære chordam residui arcus semicirculi ad arcum chordæ primo propositæ per Corollarium primæ huius. Deinde quære etiā chordam residui arcus semicirculi super arcū secūdæ chordæ primæ superadditæ per eundem modū. Post chordam residui primi arcus, duc in chordam residui secundi arcus, & productum serua. Post hæc chordam primo propositā duc in chordam secundā primæ superadditam, & quod exit, subtrahe à producto iam seruato, & quod remanet diuide per diametrū, & exit quantitas chordæ superflui arcus semicirculi ultra arcum totalem cōpositum ex illis duobus arcubus. Quadratū igitur ipsius subtrahe à quadrato diametri, & residui radix erit chorda totius arcus compositi. Ita ex chorda arcus 3. gra. & chorda arcus 1. gra. cum dimidio, reperies chordam 4. gra. & dimidij, & etiam chordā arcus 175. gra. & dimidij. Et similiter in alijs si alicui arcui habenti notā chordam addatur arcus maior aut minor similiter chordā habens notam, inuenies chordam totius arcus ex his cōpositi. Si uero alicuius arcus notam chordam habentem, dupli arcus chordam reperire uolueris, primo est quadranda chorda arcus propositi, & ipsum quadratum dematur de quadrato diametri, & à residuo dematur quadratū chordæ arcus propositi, & residuum per diametrum diuidatur, & exibit chorda residui de semicirculo ultra arcum compositum ex duplo arcus propositi, cuius quadratū de quadrato diametri auferatur, & residui radix erit chorda arcus dupli ad arcum propositum. Ita ex chorda arcus 4. gra. & dimidij poteris inuenire chordam arcus 9. gra. Consimiliter cuiuscunque al-

terius dupli arcus ad aliquem arcum chordã habentem notã poteris chordam inuenire.

Postremò ex sexta propositione, potest haberi qualiter per chordam arcus 1. gra. & dimidij, & per chordam arcus medietatis & quartæ unius gradus inueniri debeat chorda 1. gra. Si enim haberetur chorda arcus 30. minut. qui est tertia pars arcus 1. gra. & dimidij, omnes chordæ arcuum aliorũ ueraciter essent notæ. Nam in Tabula Ptolemæi ponuntur arcus secundũ augmentum dimidij gra. Vnde si reperiretur chorda arcus medietatis grad. inuenirentur cum ea per præcedentẽ capitulũ, quantitates chordarum reliq̃rum arcuum, quæ sunt inter chordas notas, quas nominamus secundum ueritatem numerationis linearum, & per hoc compleremus omnes chordas semicirculi secundum superfluum dimidij grad. Hoc autem secundum ueritatem non reperitur. Quoniam & si chorda arcus 1. gra. & medij sit nota chorda, tamẽ eius tertia, scilicet arcus 30. min. sub numeri computo, & secundũ ueritatem numerationis non est reperta. Eiusdem tamẽ rei noticia præsenti intentiõi est necessaria. Summo igitur studio & industria, quamuis nõ contineat uere quantitatem omnium chordarum, possibile tamen est, ut per ipsum inueniatur quantitas chordarum paruorum arcuum, ita ut secundum ueritatem nihil quod sensibilis sit quantitatis deficiat, inuentus est modus, quo chorda arcus medietatis gra. per chordam arcus 1. gra. & dimidij, & per chordam arcus medietatis & 4. gra. reperta est. Et est talis: Sit circulus a b d g, in quo sint tres chordæ, una a b subtendatur arcui medietatis & 4. gra. Alia a d subtendatur 1. gradui. Tertia a g subtendatur arcui gra. et dimidij. Quia ergo per sextam huius proportio chordæ a d ad chordam a b, minor est proportiõe arcus a d ad arcum a b. Arcus autem a d ad arcum a b est sesquitertius. Ostensum est autem ex dictis, quòd chorda a b est 0. gra. 47. min & 7. secund. si eius tertia, quæ est 15 min. 42. secund. & 20. tert. sibi superadditur, proueniet 1. gra. 2. min. 49. secund. & 20. tert. & hoc est sesquitertium ad chordam a b. Sed chorda a d minor est ad a b quàm sesquitertia, ideo chorda a d minor erit quòd 1. gra. 2. min. 49. secund & 20. tert. Rursum quia proportio chordæ a g ad chordã a d minor est quàm proportio arcus a g ad arcũ a d per sextam. Arcus autem a g sesquialterus est ad arcum a d. Ex dictis autem patet quòd chorda a g est 1 gra. 34. min. 14. secund. & si ab ea subtrahitur eius tertia pars, quæ est 31. min. 24. secund. & 40. tert. residuum erit 1. gra. 2. minut. 49. sec. & 20. tert. & ad illud chorda a g est sesquialtera. Igitur chorda a d respectu chordæ a g, est maior quàm 1. gra. 2. min. 49. secund. & 20. tert. Est ergo chorda arcus 1. gra. respectu chordæ unius medietatis & 4. gra. minor quàm 1. gra. 2. min. 49. secund. & 20. tert. Et respectu chordæ unius gradus & medietatis maior est q̃ 1. gra. 2. min. 49. sec. & 20. tert. manifestũ est, quòd conueniens est ut pro chorda unius gradus circuli accipiamus 1. gra. 2. min. & 49. secund. de gradibus de quibus semidiameter est 60. Sic enim minus quàm in duabus tertijs unius tertij erit error, quare multo minus quàm in uno secundo, sed in inquisitione chordarum, quod minus quàm secundum fuerit postponitur. Et ex hoc patet, quæ sit quantitas chordæ arcus dimidij gradus, ipsa enim erit 0. gra. 31. min. 25. sec. ferè. Et per illius quantitatẽ cõplebitur residuũ reliquarum chordarum, quæ binatim cadunt inter duas chordas notas. Chordam nanq; arcus duorum graduum sciemus per compositionem arcus unius gra. & dimidij, cum arcu unius medietatis gra. Sed chordã arcus 2. gra. & dimidij, sciemus per superfluum arcus 3. gra. supra arcum medietatis gradus. Et similiter sciemus quantitates reliquarum chordarum, facilis ergo est secundum præmissorum tenorem chordarum ad suos arcus cognitio.




Compositio

COMPOSITIO TABVLARVM SInuum rectorum, per Ioannem de Regiomonte.

FECERE maiores nostri sinus & chordarum tabulas, quorum usus maxime necessarius est, certas aliarum tabularum numerationes reddere uolenti. Verum omnes illi diametrum circuli paucarum admodum partium constituerunt, ueluti Ptolemæus 120, Arzahel 300. unamquanque partium in 60 minuta, minutumque in 60 secunda distinguentes. In arcu etiam, tantum per quartam gradus lineam numerū in sinubus auxerunt, propter quod fit, ut cum ex arcu sinum, aut econtra ex sinu arcum elicere uelimus, sæpe necesse sit sumere partes proportionales, itemque in usu sinuum, partes in minuta, minutaque in partes reducere. Quod profecto nedum parum in arte numerandi instituto, sed etiam peritissimis tædium parit. Vt igitur hoc impedimentum tolleretur, facilisque fieret sinuum inuentio, conatus sum nouas tabulas fabricare, quarum extensio in arcu per singula minuta procederet ipsamque circuli semidiametrum, quæ sinus totus est, ne amplius aliqua subdiuisione opus esset, 6000000 partiū fore supposui. Compositio uero ipsa talē habuit progressum.

PROPOSITIO PRIMA.




Cognito sinu alicuius arcus quarta circuli minoris, notus fiet & sinus complementi talis arcus.

Nam quadratum semidiametri æquale est duobus quadratis sinuum duorum arcus & sui complementi, ut in quarta a o b, arcus a e sinus sit e f. Arcus autē e b, sinus sit e g, quadratum e o, æquale est duobus quadratis linearum e f & f o, sed f o æqualis est e g &c.

PROPOSITIO II.

Sinus arcuum per Kardagas authorum ostendere.




Kardaga portio arcus 15 graduum appellatur. Pro huius ostensione sit circulus a b c d, super centro o, duabus diametris eius orthogonaliter sese secantibus a c, b d, arcus a e sit 30. graduum, eritque e b, 60 graduum, propterea erit e b linea recta latus hexagoni circulo inscriptibilis, ideo æquale semidiametro e o, aut o b. Quare e g perpendicularis super o b, diuidet o b in partes æquales, sed e f sinus arcus a e, æqualis est & æquedistans o g. Ideo nota o b sinu toto, nota erit e f sinus arcus 30. graduū, quia medietas sinus totius: hinc ex priore cognita fiet linea e g, quæ sinus est portionis 60. graduum. Præterea facta chorda a d, & arcu a h, 45. graduū, h k diuidens a d per æqualia, distinguet a k sinum 45. graduum, qui patebit ex hoc quod quadratum semidiametri duplum sit quadrato lineæ a k. Denique ducta chorda a e, diuisaque per medium in m, fiet a m sinus arcus 15. graduū, qui innotescet ex quadratis a f & f e, ea enim coniuncta faciunt quadratum a e, quod quadruplum est quadrato lineæ a m. Tandem ex sinu arcus 15. graduum, & propositiōe prima cognitus fiet sinus arcus 75. graduum. Sic omnium Arcuum per Kardagas authorum sinus patefacti sunt. Præsupposui autem in inuentione horum sinuum propter maiorem præcisionem, semidiametrum circuli partes habere 600000000. & secundum hoc repperi sinus arcuum illorum, ut hic habes.

Arcus.	Sinus.
90	600000000
30	300000000
60	519615242
45	424264069
15	155291427
75	579555496

PROPOSITIO III.

Cuiuslibet arcus quarta minoris, ſinus rectus, eſt medio loco proportionalis inter medietatem ſemidiametri & ſinum uerſum arcus duplicis.

Vt ſit in quarta circuli arcus c r datus, ad quẽ duplus ſit c s, ductis lineis c s, & o r ſecante c s in t. Item s u orthogonali ſuper o c, & medietas o c ſit o x. Dico iã c t eſſe medio loco proportionalẽ inter x c & c u. Sunt enim duo trianguli o c t & s c u ſimiles, quòd quilibet rectangulus ſit & unum communem habeant, ideo proportio o c ad s c, eſt ſicut proportio t c ad c u, ſed o c ad s c, eſt ſicut ſuarum medietatum, ſcilicet x c ad c t, quare x c ad c t, ſicut c t ad c u, ſic patet propoſitionis intentio. Ex hac propoſitione concluditur, cuiuſcunq; arcus ſinus notus fuerit, cognitus etiam erit ſinus medietatis talis arcus, ut in exemplo, ſi uelis inuenire ſinũ medietatis primæ Kardagæ, habes ex priore ſinum complementi huius Kardagæ, ſcilicet arcus 75 graduum, cuius differentia ad ſemidiametrum eſt ſinus uerſus 15 graduum, ideo notus. Nam id generale eſt in quarta circuli cuiuslibet arcus ſinus differẽtia ad ſemidiametrũ eſt ſinus uerſus complementi talis arcus de quarta circuli. Sic multiplicatio huius in medietatem ſemidiametri eſt nota, quæ æquatur quadrato ſinus recti arcus 7. graduum et 30. minutorum. hinc huius cõplemẽti ſinus notus fiet. Item ex hoc ſinus uerſus arcus 7 grad. & dimidij, inde ſinus rectus portionis 3. graduum & 45. minut. ex hoc etiã ſinus complementi eius. & ſic de alijs arcubus, quorum ſinus hic poſui in tabella, quos ſi cum ſuperioribus iunges, fient ſinus omnium arcuum per 3. grad. & 45. minuta authorum. Ex hac etiam propoſitione conſtat cuiuſcunq; arcus ſinus notus eſt, fiet & cognitus ſinus arcus duplicis, quamuis hac uia non gradiemur.




Arcus. G.	m̃.	Sinus.
7	30	78315715
82	30	594866917
3	45	39241877
86	15	598715354
22	30	229610059
67	30	554327720
11	15	117054193
78	45	588471168
37	30	365256858
52	30	476012004
18	45	192863679
71	15	568158078
41	15	395607489
48	45	451103884
33	45	333342140
56	15	498881767
26	15	265373214
63	45	538123645


PROPOSITIO IIII.

Latera decagoni atq; pentagoni circulo inſcriptibilium nota facere.

Sit ſemicirculus a b c,ſuper cẽtro o,ſemidiametro o b orthogonaliter ſuper diametro a c ſtante,punctum m diuidat o c per æqualia,ductæ b m ſit æqualis m o n,ſi duxeris lineam b n,dico n o latus decagoni,& b n latus pentagoni eſſe. Eſt enim c o diuiſe in m per æqualia adiuncta o n, ideo quod fit ex c n in n o cum quadrato o m,æquale erit quadrato m n ſeu m b, ſed quadratum m b,ſeu m n æquale eſt duobus quadratis b o & o m,ergo q̃d fit ex c n in n o, eſt æquale q̃drato o b ſeu o c, Ideo o c eſt medio loco proportionalis inter c n et n o,ergo linea c n, diuiſa eſt ſecundum proportionem habentem mediũ & duo extrema,& quia eius maior portio c o eſt ſemidiameter circuli,ſequitur ex hoc ut n o ſit latus decagoni talis circuli. Sed q̃a latus pentagoni potentius eſt latere hexagoni in potẽtia lateris decagoni, oportet ut b n ſit latus pentagoni,quod eſt propoſitũ. Ex hac inuenies ſinum arcus 36. graduum, ſic, quadratũ o b & quadratũ o m faciunt, quadratum m n, ergo m n cognita,ablata o m, manebit o n data, cuius quadratum iunctum quadrato ſemidiametri, producet quadratum chordæ arcus 72 graduum. Cuius quadrata quarti pars eſt quadratum ſinus arcus 36.graduum. Ex hoc ſinu ſecundũ doctrinas præcedentes inuenies ſinus arcuũ hic poſitorum,qui cum ſuperioribus iuncti ſinus arcuum per 2.gradus & 15.minuta authorum efficient.



In his uides quòd ſinus arcus 54 graduum, ex ſinu arcus 30.graduum, & ſinu arcus 18 graduum conſtat, Cuius rei cauſam ſic accipe. In quarta a b c ſuper centro a,ſit arcus c d 54.graduum, eritq; d b 36.demiſſa d e perpendiculari ſuper a b, fiet d e ſinus 36.graduum, & a e ſinus 54.graduum,ſitq; b k arcus 18.graduum,ductam chordã d b,ſecet a k linea in l,& medietas ſemidiametri ſit a g, dico g e æqualem eſſe b l ſinui arcus 18 graduum. Fiat enim e f æqualis e b, ducantur a d & d f lineæ, à puncto m mediæ lineæ a f orthogonalis m n exeat ad periferiam. Cum angulus d a b ſit quinta pars duorum rectorum ex poſito, & anguli ſupra baſim b d ſint æquales, oportet angulum a b d eſſe duas quintas duorum rectorum, cui eſt æqualis angulus d f b, ergo angulus d f a eſt tres quintæ duorum rectorum, ex hoc opus eſt, ut angulus a d f ſit una quinta duorum rectorum, ideo æqualis angulo d af,ergo a f æqualis d f, ſed d f æqualis eſt d b,ideo a f æqualis erit d b,quare m f æqualis b l, & quia m e æqualis eſt g b,quòd utraq; ſit medietas ſemidiametri,ablato cõmuni fiet m g æqualis e b, aut e f,additoq; cõmuni g f,habebis m f æqualem g e,ideoq; g e æqualis erit b l,quod fuit oſtendendum. Ex hoc etiam inferre potes ſinum uerſum arcus 72. graduum, ex ſinu uerſo arcus 36.graduum,& ſinu recto arcus 30.graduum conſtare. Nam cum a m ſit ſinus arcus 18.graduum,erit c n t arcus 18.graduum, & n b arcus 72. graduum, cuius ſinus uerſus eſt m b,ſed m b conſtat ex m e & e b. m e autem ſinus rectus eſt arcus 30.graduum, quia medietas ſemidiametri,e b uero ſinus uerſus eſt arcus 36.graduum, ſcilicet arcus b d.



Arcus. G.	m̃.	Sinus.
36	0	352671151
54	0	485410197
18	0	185410197
72	0	570633909
9	0	93860679
81	0	592613004
4	30	47075458
85	30	598150400
2	15	23555889
87	45	599537422
27	0	272394297
63	0	534603915
13	30	140067218
76	30	583421952
6	45	70522438
83	15	595841074
40	30	389668829
49	30	456243579
20	15	207670234
69	45	562914802
42	45	407280447
47	15	440593506
31	30	313499140
58	30	511584098
15	45	162864270
74	15	577473142
38	15	371456371
51	45	471190159
24	45	251195842
65	15	544885904
29	15	293172744
60	45	523497605


Arcus. G.	m̃.	Sinus.
12	0	124747015
78	0	586888561
6	0	62717078
84	0	596713137
3	0	31401574
87	0	599177721
1	30	15706169
88	30	599794394
45	0	7853773
89	15	599948596
39	0	377592235
51	0	466287577
19	30	200284116
70	30	565584895
9	45	101609702
80	15	591333635
42	0	401478364
48	0	445886895
21	0	215020770
69	0	560148256
10	30	109341315
79	30	589952945
5	15	54900971
84	45	597482957
43	30	413012745
46	30	435224623
21	45	222334462
68	15	557285732
44	15	418674276
45	45	429781166
25	30	258306658
64	30	541551171
12	45	132418461
77	15	585205392

Arcus. G.	m̃.	Sinus.
35	15	346287114
54	45	489984933
24	0	244041986
66	0	548127275
34	30	339843742
55	30	494475713
17	15	17792 945
72	45	573011967
39	45	383663401
50	15	461305099
23	15	236846314
66	45	551274726
32	15	320168709
57	45	507436663
33	0	326783421
57	0	703202341
16	30	179409207
73	30	575291841
8	15	86095573
81	45	593790832
27	45	279368712
62	15	530992582
28	30	286295256
61	30	527290268
14	15	147691976
75	45	581538546
36	45	358994760
53	15	480752288
30	45	306775852
59	15	515643849

PROPOSITIO V.

Latus quindecagoni circulo inſcriptibilis notum reddere.


Sit in quarta circuli a b ſuper centro c, arcus a d 30. graduum. Item a e 54 graduum, ductis d f & e g perpendicularibus ſuper a c. Item d h & e k perpendicularibus ſuper b c, erunt e g ſinus portionis 54. graduum, & e k ſeu h i ſinus portionis 36. graduum. Item d f ſeu i g ſinus 30. graduum, & d h ſinus arcus 60. graduum, quæ ex ſuperioribus nota ſunt. Igitur e i ſcilicet exceſſus ſinus arcus 54. graduum ſupra ſinum arcus 30. graduū notus. Similiter i d nota fiet ſcilicet exceſſus ſinus arcus 60. graduum ſupra ſinum arcus 36. graduum. Sed ducta chorda e d, eſt chorda arcus 24. graduum, ſcilicet latus quindecagoni, cuius quadratum æquale eſt duobus quadratis linearum e i & i d, ſic linea e d nota fiet, quod eſt propoſitum. Secundum autem ſimile ingenium quorumcunque duorum arcuum ſinus noti fuerint, poteris inueſtigare ſinum dimidij differentiæ eorum. Ex hac cognoſces ſinum arcus 12. graduum, ex quo per doctrinas ſuperiores inuenies multorum arcuum ſinus, adeo ut ſi proceſſeris quoad potueris in arcu tamen minutum gradus non ſecando, reperies arcuum hic poſitorum ſinus, qui ſuperioribus iuncti ſinus arcum per 45. minuta augmentum ſuſcipientium conſtituent.




PROPOSITIO VI.

In quarta circuli ſumptis arcubus æqualibus inæqualiter à capite quartæ diſtantibus, ab eorū terminis perpendiculares ad baſim demiſſæ inæquales baſis partes intercipient, maiorque pars erit, cuius arcus capiti uicinior fuerit.

